

§. 48.

Principatus Montisbeligardensis cum circiter quinquaginta vicis Episcopatu Basileensi, Comitatu Burgundico et Alfatia superiore circumcluditur. *et Comitatus Montisbeligardensis.*

Caput ipsius, sedesque Consilii Regiminis, est urbs Montisbeligardum, adjacens flumina Alanum et Rigolam, (l'Alan et la Rigole) quae duobus isthinc passuum millibus amni Dubi, Doubs, miscentur.

Quae Comitatus adjunctae sunt novem dynastiae, eae partim in Burgundia sitae sunt, utpote tria antiqua feuda Burgundica, Granges, Clerval et Passavant, quatuorque dynastiae quondam allodiales Blamont, Clement, Hericourt et Chatelot: partim vero jacent in Alfatia superiore, comitatus quippe Horburgensis ac dynastia Richovillana, quarum utramque jam Comes Ulricus III. ante conjunctionem Comitatus Montisbeligardensis cum Domo Wirtembergica a. 1324. à dynastis Waltero et Burkardo, postremis gentis Horburgensis, pretio 4400 marcarum argenti obtinuerat(a) (§. 14. n. 2.). Dynastias Granges, Clerval et Passavant, ceu antiquas Comitum Montefalconiorum possessiones, Comitissa Montisbeligardensis Henrietta, uxor Comitis Eberhardi Junioris, una cum Comitatu Genti Wirtembergicae attulit (§. 12.) Dynastiam Blamontanam, quae antiquitus ad Comitatum Montisbeligarden-

H

sem